



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio VIII. Agar filium suum sub umbram arboris projiciens, docet nos configere ad umbram sanctæ Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](#)



## CONSIDERATIO VIII.

Agar filium sub umbram arboris projiciens, docet nos configere ad umbram Sanctæ Crucis.

*Sub umbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum, qui me afflixerunt. Psal. 16. 8.*

*Gen. 21. 15.*

**D**Esolata Agar, ubi ab Abrahamo repudiata, & cum Ismaële filio suo è domo ejecta est, hinc & inde profuga rectâ cum prole desertum Arabiæ petiit, ubi pane & aquâ deficiente, eum subter unam arborum projecit, in re tam desperata ultimum à DEO præstolans & expectans auxilium; audiamus Scripturam: *Abjecit puerum subter unam arborum, qua ibi erant, & abiit, sedisque è regione procul, quantum potest arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contrâ, levavit vocem suam, & slevit.*

*S. Isidor.* hic, morientem puerum, & sedens contrâ, levavit vocem suam, & slevit.  
S. Isidorus per hanc arborem crucem Dominicam intelligit, sub cuius umbra Agar, & desolata proles optatum invenerunt auxilium; nam apparuit eis Angelus de cœlo, mœrentes consolans, fontemque monstrans, cuius hausto salutari latice & mater & proles abundè furerunt refectæ. Doctissimus Picinellus huic figuræ pro lemmate inscripsit: *In deserto non deserta, nos autem ad intentum nostrum: Optaram fert umbra medelam,* ab hac enim umbra crucis omnis nostra dependet salus, vita & resurrectio nostra: *Crux, ait S. Laurentius Novariensis, est arbor optabilis, salubri medicamine plena,* & Rabanus de laude crucis: *Tu Sancta Crux peccatorum es remissio, pieatis exhibito, meritorum augmentum, desperatorum securitas, infirmorum felicitas. &c.*

*S. Laur. Novari. hom. de peccatis.*

2. Davidem consule, qui in omnibus suis necessitatibus, vitæ periculis, persecutionibus & angustiis ad hanc salutiferam Crucifixi umbram jam tunc temporum intervallo configuit. A Saule & exercitu ejus agitatus, & ad necem quæsitus ad umbram Crucifixi suspiravit, ne in eorum manus incideret, qui jam dudum illius ambiebant exitium.

exitium, proinde DEUM rogavit: *Sub umbra alarum tuarum protege me*: Psal. 16. 8.  
*& facie impiorum, qui me afflixerunt.* Thomas Anglicus de Christo in cruce  
 hunc locum explicat; & quemadmodum pulli, si à milvo persecutio-  
 nem patiuntur, ad alas gallinæ matris quantocyùs se conferunt; ita  
 David ad alas Christi in cruce expansas jam tunc in spiritu prævisas  
 anhelavit: *Ut gallina, ait Sangrius, suos ab ungue milvi pullos protegit, ac*  
*suis sub aliis tutatur, me ita ab hoste redde tutum.*

Aliâ vice, cùm fugiens Saulem hostem suum infensissimum in  
 obscuris pernoctaret montium cavernis, timens à verbo aspero Saulis,  
 qui ei mortem toties intentaverat, ad eandem crucifixi umbram se  
 recepit, atque sub illa optatam opem invenit; unde se ipsum animans  
 & consolans dixit: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub penis ejus sperabis.* Psal. 90. 4.  
 Supra quod le Banc: *Christus, inquit, in cruce nos obumbrat scapulis suis,*  
*brachii & manibus, vigilat pro nobis, atque alas suas super nos expandit, imò &*  
*extentis brachiis nos expectat, quis ergo in necessitatibus suis non ad*  
*illum fugiat?*

3. Idem Vates regius, ubi pretiosissimum orbis Salvatorem pro  
 salute generis humani olim (hoc est post mille ferè annos) crucigen-  
 dum prævidit, attonitus & extra se raptus ob talem ac tantam divinæ  
 bonitatis miserationem exclamavit: *Homines & jumenta salvabis Domine.* Psal. 35. 7.  
 Et quænam, dices, jumenta salvabit DEUS & Homo Christus? Resp.  
 Peccatores, ad hoc enim venit in mundum, peccatores salvos facere,  
 qui per peccatum facti sunt ut jumentum apud DEUM; & ideo in  
 nativitate sua inter duo jumenta in præsepio reclinari voluit: *In medio duorum animalium cognosceris;* hæc duo animalia, teste S. Hieronymo,  
 duos præsignabant latrones, inter quos crucifixus, & agnitus est  
 Christus.

Et pergit idem Propheta regius: *Quemadmodum multiplicasti miseri- cordiam tuam DEus:* Nullibi autem miserations suas magis multipli-  
 vit DEUS, quam in passione & cruce per unigenitum Filium suum,  
 sub cujus umbra voluit, ut omnes filii hominum protegerentur, unde  
 mox addit Vates Jessæus: *Fili autem hominum in tegmine alarum tuarum* Psal. 35. 8.  
*sperabunt, hoc est, subintrat hic iterum Thomas le Blanc: Sub umbra S. Ambri. in*  
*manuum tuarum in cruce expansarum.* Audiamus S. Ambrosium: *Christus,* Psalm. 118.  
*inquit, vita est: Et ideo qui in umbra Christi vivit, in umbra vita est.* David in Serm. 3.  
*umbra alarum Domini IESU sperare se dicit; Zachæus in arborem sicomori ascen-*  
*dit, ut Christum videret. Nobis quoque expandit manus suas IESUS, ut totum*  
*mundum obumbraveret. Quomodo non sumus in umbra, quæ crucis ejus protegimur*  
*velamento? Quomodo non sumus in umbra, quos Crucifixus a malignitate saculi,*  
*& corporis ardore defendit?*

D 3

4. Spon-

4. Sponsa illa dilecta, ubi oberrando & custodiendo vineas suas in summo solis ardore versabatur, ne nimio solis meridiani æstu feriatur, optatam inquisivit umbram, sub qua tuta quiesceret, proinde

**Cant. 1. 6.** ad Sponsum dixit: *Inde a mehi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Et cur in meridie? Subintrat hic S. Drogo Episcopus Ostiensis: Si vis scire, inquit, o Sponsa, ubi dilectus tuus & electus ex

S. Drogo de  
Sacr. Dom.  
Pass.

millibus, candidus & rubicundus in meridie pascat & cubet, ad Calvarium montem te confer, ibi eum videbis horâ diei sextâ, hoc est, in meridie in aspero crucis leitulo cubantem, & oves suas pretiosissimo sanguine suo pascentem:

**Cornel. hic.** *Nunquam eum invenies nisi tantum in cruce, ibi dormit, ibi pascit, ibi cubat in meridie.* O pretiosa umbra! Per meridiem, ait Cornelius, Christi crucifixionem accipe, in meridie enim crucifixus est, ubi crux Christi Ecclesiæ & fidelibus contra omnes persecutionum & tribulationum æstus certum fidumque præstat umbraculum. Ad hanc igitur umbram ubi tandem Sponsa pervenit, amore & dolore saucia, attonita exclamavit: *sub umbra illius quem desideraveram, sedi & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

**Cant. 2. 3.** 5. Quæres hic, anime mi! qualis hic fructus fuerit sponsæ gutturi tam gratus ac dulcis? Ipsa loquatur: *Sicut malus, inquit, inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Adverte: Malus inter ligna silvarum est crux, & Christus crucifixus est fructus ejus, hoc est: Malum punicum, seu pomum granatum, ita Theodoretus & alii; Adam enim peccavit in malo, Christus pendens in cruce satisfecit pro hoc malo, unde ad Sponsam dixit: *Sub arbore malo suscitavi te &c.*

Congruè autem dicitur Malum punicum seu granatum, 1. Quia coronam gerit spineam: Christus crucifixus simili redimitus est corona. 2. Malum punicum cibum præbet & potum: Christus crucifixus & Eucharisticus cibus noster est & potus. 3. Ex pomo granato exprimitur suceus rubeus & aqueus: Christus in cruce ex SS. Latere suo sanguinem dedit & aquam. 4. Pomum granatum suavem expirat odorem: Christus crucifixus virtutum odore omnes ad se fideles trahit. 5. Malum punicum purpureum præsefert colorem: Christus in passione & cruce similiter. 6. Malum granatum media ex parte, seu in latere dirumpitur, ut suas monstrer opes: Christus in cruce latus sibi adaperiri voluit, in quo omnes gratiarum thesauri sunt reperiundi. 7. Malum punicum liberalissimum est, quod enim habet, hoc nobis præbet: Christus in cruce pro anima nostra dedit omnia, quæ habuit, & emit eam. Vide ex his ac considera, cur Sponsa illa tantoper affectaverit umbram mali, sub hac enim arbore suscitata ac redempta est. Curramus & nos, animæ Christianæ, pari cum ardore, pari cum amore

amore ad salvificam Dominice crucis arborem, sub cuius umbra in omni tribulatione nostra, in vita & in morte tutissimum reperiemus asylum.

6. Pulcherrima est illa quæstio, quare Dismas latro, qui ad dexteram crucifixi JESU in fatali crucis ligno pendebat, tam subito fuerit illuminatus, & ad Christum conversus: *Domine, memento mei?* Resp. *Luc. 23. 42* S. Vincentius Ferrerius, quia in cruce latro ille à Crucifixo Domino fuit obumbratus, quæ umbra in ipsum incidens ejus salutis causa fuit, ut à cruce transferretur ad paradisum: *Hodie tecum eris in paradyso.* Pendebat autem in cruce pientissimus orbis Servator Christus respiciens Occidentem, cujus dextera in brachio crucis extensa ante Solis obscurationem umbram in latronem projectit, cujus virtuti & gratiæ divinæ excitanti adscribitur illius conversio & æterna felicitas. Ita S. Vincentius Ferrerius in Parasceve, B. Petr. Dam. Salmeron & alii.

O Christiani! Si umbra S. Petri Apostolorum principis sanare potuit quoscunque infirmos, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in *Act. 5. 15.* leculis ac grabatis, ut veniente Petro, saltē umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus. Quantò magis erit salubrior umbra crucifixi JESU in nos projecta, si in necessitatibus nostris in animo contrito & humiliato ad eum configimur? Et si quondam umbra corporis S. Petri sanabat ægros quasi per instrumentum, seu per causam instrumentariam moralem, umbra crucifixi JESU merito attribuere possumus efficaciam cause physicæ. Venite ergo mortales omnes, & ad crucifixum JESUM properate, ac sub illius gratiarum umbra requiescite, ille enim vobis *erit in umbraculum dies ab Ila. 4. 6.* astu, & in securitatem & absconzionem à turbine & à pluvia, &c.



CON-